Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 19
Quelle:
Copyright:

rum In chrems Qui eum furat ille a laqueo se suspedat.

X. VI A 17

17 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 278. Est Pars V. et ultima *Bibliorum*, de quibus supra. Continet Libros N. T. hoc ordine: *Evangelia Matthaei, Marci, Lucae, Johannis. Epistolas Pauli ad Rom. ad Corinth. II. ad Galatas. ad Ephes. ad Philippens. ad Colossens. ad Thessalonicens. II. ad Timotheum II. ad Tit. ad Philemon. ad Hebraeos. Actus Apostolor. Epistolas Canonicas Jacobi, Petri II. Johannis III. Judae* ac tandem *Apocalypsin.* Omnia haec brevibus Praeloquiis instructa sunt; per errorem tamen Praeloquium *Epistolae Judae* ante *tertiam Johannis* scriptum est. Locus de Testimonio I. *Joh. c. 5. v. 7.* sic habet: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in terra. Spiritus, aqua et sanguis: et tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in celo. pater et uerbum, et spiritus sanctus. et hij tres unum sunt.* Codex demum hoc epiphonemate terminatur: *Anno incarnacionis domini nostri iesu cristi. M°. CCC°. XXXIII. sequenti die Processi et Martiniani. Ego Chunradus Sweuus scriptor incepi hoc opus. et deo dante perfeci Prisce. v. M°. CCC°. XXXIIII°. Deo Gracias.* Id, quod de *ultimo* solum *Tomo* sive N. T. intelligi debere, cum breve sex mensium spatium, tum alia hujus Tomi, eaque minus elegans et adcurata manus evincit.

Ceterum insigne isthoc Bibliorum Exemplar, utut *Psalterio* destituatur, iis, quae in *Lelongii Biblioth. sacra* enumerantur, omni jure accenseri postulat.

XI. VI B 7

Codex membraneus lat. Sec. 60
XV. Folior. 155. f. per duas columnas eleganter scriptus, frontibus librorum deauratis et picturatis est *Tomus I. Sacrorum Bibliorum* ex Versione Hieronymi, cujus Praefationes ubique praefixae sunt. Habetur vero hic *Pentateuchus, Liber Josue, Judicum* et *Ruth*, omnes in Capita distincti.

XII. VI B 8

Codex membraneus lat. Sec. 61
XV. Folior. 204. scriptus et ornatus uti praecedens, est *Tomus II. Sacrorum Bibliorum*, complectiturque *Libros IV. Regum, Paralipomena, II. Esdrae, Proverbia, Ecclesiasten, Cantica Canticor. Sapientia. i. Ecclesiasticum.* Libros *Regum* Prologus galeatus *Hier.* praecedit. Primi duo in subjectis rubricis *Samuhel*, posteriores *Malachim* adpellantur. *Paralipomenis* et *Esdrae* praefatur *Hieronymus.* Hic vero non dividitur in Libros II. sed finito primo adjecta est rubrica: *nec explicit, nec incipit*, statimque continuatur *Nehemias*, novo tamen Capitum numero.